



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**


**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Gandersheimium, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

grinatione ac urbium populorumque multorum lustratione, omnium præterea historiarum tam sacrarum quam ethnicarum lectione, fide item ac virtute eò evasit, ut inter claros antistites poni merito debeat: vir omni probitatis atque æquitatis genere commendandus, & rei ecclesiasticæ affectator haudquaquam segnis, de quo item dubites, à fastu ne an à luxu sit alienior. Hic Ecclesiæ & ditioni suæ Fuldensi fidelis & rei domesticæ per omnia studiosus gubernator hoc adhuc præfidet tempore, pontificatum Julio III. imperium vero Carolo V. ac Ferdinando fratribus feliciter administrantibus. Huc curas & studia sua referens omnia, ut & cultum divinum in Ecclesiis augeat & ad justitiæ normam administret dexterrime omnia.



**G**ANDERSHEIMIUM, magnificum & eximie opulentum monialium, ex augusta Principum ac Comitum stirpe natarum, collegium verius quam cœnobium, in ejusdem nominis Brunsvicensi quodam oppidofitum, extrui & fundari coeptum est anno Domini 842. à Leodolpho vel Leutholpho Magno, Duce Saxonum; consecratum & donatum anno Domini 852. à S. Alfrido, quarto Hildesheimensium Episcopo, qui primas duas ejus loci Abbatissas designasse & velasse dicitur. Abbatissarum talem invenio etsi imperfectum catalogum.

Catalogus abbatissarum.

1. *D. Habundis* constituitur Abbatissa prima anno 852. Fuit Leutholphi fundatoris filia. Præfuit annis 18. Obiit anno salutis Christianæ 870.
2. *D. Gerbirga*, Saxoniz Ducissa, Dominæ Habundis germana soror, eligitur anno Christi 870. Præfuit annis 13. Valdidixit humanæ vitæ anno Domini 883.
3. *D. Christina*, Leutholphi fundatoris tertia filia, eligitur intertiam Abbatissam Gandersheimensem, consecraturq; ab Episcopo Hildesiano, Wigeberto. Obiit sub Episcopo Waldoberto.
4. *D. Rodeschwinda*, & ipsa Ducali stemmate nata, eligitur

G g ab

Handersheim  
Chronologi  
Museum  
S. III

ab Episcopo Waldoberto. Decessit ex hac lachrymarum valle ad beatarum animarum conciliabulum anno Domini 906. Fuit femina religiosissima.

5. *D. Wendelgardis* successit anno 906. nobilissimis parentibus nata, Præfuit diutissime. Obiit sub decimo Episcopo Hildesiano, Ochevino.

6. *D. Gerberga*, Saxoniae ducissa, substituitur Wendelgardi ex hac lugubri vita evocata. Huic Dominae Gerbergæ decavit *Roswitis*, puella Saxonica & monialis Gandersheimensis, insignis poetria, omnia ingenii sui poetica & historica monumenta. Scripsit vero sex comœdias Christianas ad imitationem Terentii: & heroico carmine trium Othonum Imperatorum (quorum temporibus claruit) vitas & res gestas. Sed & eodem genere versuum multorum Divorum laudes. Opus totum à Conrado Celte, poeta primo Germanico, publicatum est. Obiit Domina Abbatisa Gerberga sub Episcopo Hildesianorum XIII. S. videlicet Bernwardo.

7. *D. Sophia*, laudatissimi Romanorum Imperatoris Othonis II. filia, successit Dominae Gerbergæ, consecrata à S. Bernwardo, Episcopo Hildesiano. Præfuit diu sub duobus Episcopis. Decessit ex hoc mortali seculo anno Domini 1038.

8. *D. Adelheidis*, ejusdem Imperatoris Othonis filia, consecratur ab Episcopo XV. Diethmaro, anno Domini 1038. Obiit sub XIII. Episcopo Hildesemensi, Udone.

9. *D. Bertha* consecratur ab Udone. Obiit sub XXI. Episcopo Bernhardo.

10. *D. Loicardis* consecratur ab Episcopo Bernhardo Goslariæ, præsentè Lothario Imperatore, annum Christi circiter 1128. Evocata est ex hac vita anno 1152. cum diu & feliciter præfuisset.

11. *D. Adelheidis* eligitur & consecratur anno 1152. Sub ejus gubernatione vastatum est incendio Gandersheimense coenobium, quod tamen ab Abbatisa Adelheide & Hermanno Episcopo Hildesiano magnifice instauratum iterum esse legitur. Tantum habeo de Gandersheimensis coenobii primis Abbatisis: ceteras

*Roswitis*  
versificatrix.

teras expiscari haecenus non potui. Praefuit tamen eidem nuper adeo illustrissima Domina, Domina Clara, Henrici Junioris Brunsvicensis Ducis ex Domina Maria Jacobe Ducissa Wirtenbergensi filia, quae anno Domini 1547. jussu Parentis, ex captivitate Hessica in patriam ditionem redeuntis, Dominae Magdalenae, Baronissae de Klummen, Abbatiam resignavit. Haec praefidet hoc adhuc currente Jubilaeo, potens ac magnifica Abbatisa, quae hodie adhuc sub directo suo dominio vasallos habet non duces tantum Brunsvicenses, sed & Saxoniae Principes ac Marchiones Brandenburgenses, aliosque multos circumjacentis terrae Regulos, Comites ac Barones.

**CRATLE MONS, vulgo Gnadenberg** / antiquitus a quercibus **der Wichelberg** / coenobium utriusque sexus in Aisttensi dioecesi, ordinis S. Salvatoris vel S. Brigittae, ad Schwartzachium amnem in Palatinatu superiori, medio inter Noribergam ac Neumarcam civitates, vel Altdorffum oppidum Noribergense & Heimbürgum castrum itinere, in amenissimo monte situm, fundatum ac dotatum est sub Pontifice Eugenio IV. Imperatore vero Alberto II. Austriaco, anno Domini 1436. à Joanne, Palatino Rheni & Bavariae Duce, Ruperti Imperatoris filio, ad preces & petitionem conjugis suae, Dominae Catharinae, Pomeranorum Ducissae, quae puella paucorum annorum Wattensteinensi S. Brigittae coenobio religionis studio ita sese extra tamen clausuram dederat, ut claudi etiam sese vellet, si ad decimum octavum aetatis suae annum perveniret. Cum itaque ab hac sua sententia secedere & Joanni Palatino, desideranter eam petenti, nubere cogere, institit marito, ut in sua is ditione coenobium ejusdem ordinis institueret, in quo cultus ille Deo praestaretur, quem ipsa novisset ac per ipsum impedita praestare jam non posset. Inchoatum fuit primum prope arcem *Wolffstein, Wolf-* ultra Novum Forum sitam, ubi exiguum sacellum & oratorium *stein.* constructum erat; sed post maturiorem deliberationem cis Novum Forum in Quercinum Montem translatum est, in viciniam opulentae Civitatis Noribergensis. Sperabat enim Princeps futurum

Coenobii fundatores.

Gg 2

Chronologia  
Muster id  
S. M